DE NERVI QUINTI NEURALGIA, PRAEMISSA HISTORIA MORBI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE GRYPHICA
UT SUMMI
IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVII. MENSIS FEBRUARII MDCCCLXIII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JULIUS MICHELSEN,
POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:
M. MICHELSEN, DR. MED.
O. BRAEHMER, DRD. MED.
J. RITTER, STUD. MED.

GRYPHISWALDIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PARENTIBUS

CARISSIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

FILIUS.

Scribere haec mihi suscipienti non spes fuit neque consilium quidquam novi ad ea addendi, quae inde ab antiquissimis usque ad hoc tempus a viris doctis atque eruditis de nervi trigemini neuralgia sunt promulgata, sed hoc unum spectavi ut praemisso neuralgiae nervi casu singulari respiciens et ea, quae viri docti de natura hujus morbi alii alia observarunt eodemque modo alii aliud remedium ad illum morbum sanandum proposuerunt, et ea, quae a me in casu singulari, quem infra descripturus sum, observationes factae sunt, nonnulla de nervi trigemini neuralgia scriberem.

Atque ut primum illius morbi historiam, qualem cognovi, explicem, G. S. operarius viginti quinque annos natus, qui diu neuralgia nervi quinti vexatus permultis doloribus laboravit, quum ex eo quaesitum esset, haec narravit: usque ad annum aetatis duodecimum semper bona se valetudine floruisse, illo autem anno affectum se esse febri intermittente quartana; hoc morbo laborasse se septem per menses. Usum chinio sulphurico se revaluisse et usque

ad annum decimum quintum sanum fuisse. Eo tempore, ut ex descriptionibus illius aegroti apertum erat, exorta est phlebitis cum magno antibrachii dextri turgore profecta ex vulneratione. Quum incisione facta magna vis puris effluxisset cataplasmatis adhibitis post dimidium annum sanus est redditus. Inde ab hoc tempore bona valetudine usus usque ad annum vicesimum alterum est, quo tempore stipendia merere coactus oculis laborare coepit. Cucurbitis deinceps in cervicibus adhibitis et argento nitrico loco affecto applicato intra duodeviginti hebdomadum spatium restitutus est. Qui morbus conjunctivitis seu catarrhalis seu granulosa videtur fuisse.

Duobus annis post dentes dextri dimidii maxillae inferioris vehementissimis doloribus afficiebantur, qui quum non minuerentur post quatuor dies tertius mandibulae dextrae dens molaris remotus est. Sed tantum abfuit ut dolores lenirentur, ut totum faciei dimidium dextrum tumesceret, qua ex caussa per diutius tempus cataplasmatis utebatur. Nihilosecius dolores non penitus desierunt, sed alio tempore minores, alio majores exstiterunt, qui fulminis instar in partes diversissimas irradiantes aegrotum vehementissime cruciabant. Praeterea dextra pars faciei in accessionibus rubra fiebat, ex qua multus sudor secernebatur; atque etiam salivatio exstitit. Dolores vero sentiebantur in area nervi maxillaris inferioris ad regionem articulationis mandibulae et circa exitum nervi mentalis versus labium inferius vergentes.

Diagnosis hujus aegrotationis facilis erat; quum quoniam dolores ramificationem qualis est nervi maxillaris inferioris sequentes expandebantur, tum quia sic, ut dixi, irradiabant, deinde quod paroxysmi temporibus incertis redibant, denique quod aegrotus, etsi omnem levem tactionem aegri faciei dimidii vitare conabatur, tamen, ubi accessiones exstiterunt, fricatione vehementi et compressione dolorem levare tentabat, hae omnes res ex neuralgia rami tertii nervi quinti sunt repetendae.

Ad dolores auferendos usus est hoc unguento:

℞ Veratr. gr. v
Morph. acet. gr. j
Ungt. simpl. ℥j

quo bis per diem locus doloribus affectus infricaretur.

Praeterea quum dolores utendo unguento non desinerent aegrotus adhibuit advesperam Morph. acet. gr. $\frac{1}{6}$. Post duo menses quum usus unguenti plane frustra fuisset in curando constituebatur solutio Chinii sulphur. ℈j ad ℥vj, cui additam erat Morph. acet. gr. $\frac{3}{4}$, quam aegrotus cochleari majore ternis horis sumeret; accessiones deinde aliquod per tempus rarae fiebant, postea quum chinium etiam sine ullo majore effectu esset ejusque usus ob hanc rem omitteretur, in quoque paroxysmo acupunctura adhibita est. Quo facto videbatur aliquamdiu aegrotus melius se habere, sed re vera non ita res se habuit. Iterum iterumque paroxysmis exortis jam endermatice adhibitum est Morph. acet. gr. β quotidie, praeterea aegrotus saepius per diem portiun-

culas (singulas gr. β) morphii sumpsit. Nihilosecius, haudquaquam ut spes fuerat, dolores deminuebantur, sed in dies crescebant, ut nunc fere omnino non intermitterent.

Quae quum ita essent aegrotus sic cruciatus est, ut noctu non dormiret et saepius e lecto surgeret, vehementissimis doloribus vexatus per conclave erraret, faciem manibus laceraret, interdum clamorem ejiciens ita ut contabernaculi noctu somno excitarentur. Ad hunc statum tristem etiam aurium sonus atque adeo visiones accedebant, quae iterum atque iterum modo post longiora, modo post breviora intervalla redibant. Quum deinceps Veratri gr. $\frac{1}{20}$ ter sexiesve per diem, tum solut. arsenicalis Fowleri per idem tempus usus omnino nullum effectum haberet, tractabatur aegrotus tinctura canabis indicae gtt. quindecim ad viginti pluries per diem, sed etiam hoc frusta; paroxysmi potius crebriores fiebant et magna sudoris secretio exsistebat. Quibus rebus factum est, ut parva nervi facialis paresis oriretur, quae animadvertebatur et ex prolapsu dextri anguli oris et ex eo quod fissura palpebrae oculi dextri multo major quam sinistri videbatur. Dolor in eodem ipso loco ac prius est. Frictione inferioris faciei dimidii, in quo dolor maxime sedebat, multae pustulae exstiterunt et tela interstitialis infiltrata durata est praeter dextrum mandibulae dimidium et in mento. Calidis cataplasmatis locis affectis applicatis paroxysmi augentur; ob hanc caussam ea nisi diutius saepiusque intermissa adhi-

beri non poterant. Aegrotus quum tandem capiendi cibi appetitum amitteret infirmus atque invalidus fiebat. Hoc modo quum per sex menses parvo tantum et maxime dubio eventu tractatus esset, nullis rebus in anamnesi syphiliticum contagium indicantibus Hydrargyrum bichlor. corros. gr. j ad ℥ vj, ter per diem cochlear majus, prorsus quasi alterans praescriptum et diutius in diesque majoribus portionibus adhibitum est. Paulo post dolores levabantur ac quindecim diebus peractis aegrotus sex hebdomades penitus ab paroxysmis liber erat. Tum catarrhus conjuctivalis primum in dextro oculo, deinde in utroque exstitit, quo remisso rursus neuralgiae paroxysmi levioris momenti initio rarae, tum vero crebriores facti sunt. Ac quamquam sublimatum, propter catarrhum omissum jam rursus adhibebatur ut quotidie semis grani daretur, tamen paroxysmi magis magisque cum doloribus ita crescebant, ut aegrotus rursus nullum somnum caperet, quin etiam deliria animadverterentur.

Sudoris secretio ex parte affecta mirum in modum multa erat. Quum ex longiore hydrargyri usu tumor et dolor gingivae exstitissent, pro eo sol. arsenicalis Fowleri gtt. v quater per diem adhiberentur necesse erat et ita quidem, ut tandem, quum quaeque portio quotidie una gutta augeretur, haec triginta quinque guttas haberet. Abhinc deinde ex usu hydrargyri aliquo modo quidem levatio dolorum effecta est, sed ex barbae tonsione subito vehementes dolores eruperunt, qui per diem vel vicies sexies vel adeo bis et quadragies repetiti magna vi aegrotum

cruciabant. Cutis dexteri faciei dimidii ab arcu zygomatico fusca et externa frictione, quam aegrotus propter vehementes dolores intermittere non poterat, inflammata erat. Larga sudoris secretio mansit, quae accurate in linea media desinebat. Jam solutio arsenicalis plane sine effectu erat et repetebatur usus Veratri et externus et internus, nec morphii usus omittebatur. Per breve quidem tempus leniebantur hoc modo dolores sed mox denuo aegrotus vehementissime affectus est. Tum modo meliore modo minore cum eventu tinct. cannabis gtt. quindecim ter per diem, postea Hydr. bichlorat. corr. gr. ij ad ℥vi cum tinct. opii simpl. ℈ij quater per diem cochlear majus datum est. Paroxysmi ex ultimo dente maxillae inferioris exiebant (aegroto deinceps quartus, tertius, secundus dens molaris extractus erat), porrigebant tamen se etiam in regionem sesundi rami trigemini. Quum vero hydrargyri effectus qualis ante fuerat non spectaretur, praesertim quum aegrotus satis infirmus esset, ut anaemiam caussam partialem morbi haberes, ferri carbonici sacchar. gr. x ter per diem praescribebatur, at in melius aegri valetudo non est inclinata. Itaque aegrotus postquam annum et tres menses in hoc nosocomio atque ante medicorum oculos moratus est, quum aegrotatione liberari non posset, ex nosocomio excessit.

De therapia generali.

Omnia remedia, quae usque ad hoc tempus ad

prosopalgiam curandam proposita sunt, si respicimus consilium, quo adhiberentur, in duas partes dividi possunt: ac quae prima parte continentur, talia sunt, quae inventam morbi caussam impugnant, respondent igitur indicationi causali; altera continentur talia, quae morbum causis ejus non detectis aggrediuntur: id est indicationi morbi respondentia.

Ac quod attinet ad indicationem causalem, prosopalgia, cujus causa in nervi trigemini affectionibus inflammatoriis vel refrigeratione posita est, penitus antiphlogistice tractetur necesse est. Commendanda sunt hirudines, vesicatoria fugacia, quorum loco Valleix cauterisationem cutis circa nervum sitae linearem per parvum ferrum candens cuneiforme poni vult, cathartica ac vomitoria medicamenta.

Quodsi prosopalgia profecta est ex febri intermittente aut infectione malaria usus Chinii aut in pertinacibus casibus solutionis arsenicalis Fowleri indicationi causali respondebit. Si morbi causa anaemia, utilia sunt praeparata ferri, quorum unum ferrum carbonicum saccharatum maximi est momenti.

Si neuralgia exorta est, quod sanguinis circulatio impedita est, delapsus sanguinis stagnantis impedimento sublato restitui debet. Quo in genere hirudines, cucurbitae, missiones sanguinis in ano aut in cervice uteri instituendae sunt.

Contra neuralgiam ex plumbi vel hydrargyri intoxicationibus profectam usus internus sulphuris et balnea sulphurica utilia sunt; praeterea aegroti noxiis horum venenorum effectibus sunt subtrahendi.

Si corpora aliena penetraverunt, removenda, tumores excidendi, dentes cariosi extrahendi sunt; dentes autem ne sine caussa evellas cave, neve evellas nisi carie apparente.

Quum autem saepissime accideret ut caussa morbi lateret experimentis medicos doceri oportuit, quae remedia prosopalgiae essent proponenda. Quorum remediorum haec refero: alterantia, quae quandam excitati nervorum systematis status mutationem adducere volunt, contra prosopalgiam sunt commendata, e quibus argentum nitricum, solutionem arsenicalem Fowleri, qua Romberg praesertim in hystericis mulieribus nullum fere magis prodesse remedium contendit, hydrargyri praeparata. Neque narcoticorum turba contra neuralgiam illam inexperta relicta est, e quibus praesertim opium et morphium commemoratu digna videntur, quorum cum corpora facile iis adsuescant initio parvae doses tum in dies majores dandae sunt, ut eosdem effectus praestent quos antea. Spectatur vero in adhibendis narcoticis, ut affectorum nervorum irritabilitas et facile excitandi facultas deminuatur; eorumque usus jam idcirco maximi momenti est, quia aliquod per tempus quidem misero aegroto quietem parare possunt.

Etiam acupunctura cum electricitate contra prosopalgiam recentioribus temporibus proposita non semper vim prosperam, id quod casus quem praemisi docet, exercet.

Denique mentionem facio compressionis, quae nonnullis in casibus utilissima est. Hasse quidem

quendam aegrotum narrat vehementissimos paroxysmos deprimere potuisse si nervum supraorbitalem comprimeret et Earle fabrum quendam arteria temporali per pilam vibrantem compressa per totum diem ad incudem stantem laborare potuisse.

Sed prosopalgia laborantes nobis occurrunt, quibus omnia remedia commendata nullo modo prosunt, qui doloribus cruciantur vehementissimis, ita ut mors vita optabilior iis esse videatur. Tum neurotomia est adhibenda non discisio, quia dissecti nervi mox sanescerent atque hoc modo prosopalgia brevi rediret, sed exstirpatio partis nervi. Quae exstirpatio, quamquam multi neque ignobiles medici evitandam eam esse censuerunt atque Dieffenbach hanc operationem esse inutilem futuroque tempore nunquam adhibitum iri praedicavit, tamen semper in casibus perditis ac desperatis solum refugium manebit, quum jam ea re excellat, quod aegrotos magnum in spatium aterrimis doloribus liberos reddit. Antequam vero excisionem aggrederis consentaneum est omnia indicia diligentissime perscrutanda esse, quorum haec praecipue commemoratu digna arbitror. Primum quidem perquiras utrum dolor ab aegroto sentiatur uno loco talique qualem cultro facile attingas, necne; deinde omnia alia remedia, quibus usus fueris, irrita fuisse neque ullam aliam spem succedendi remansisse oportet. Neve prius huc refugias, quam homo prosopalgia ita cruciatus sit ut negotia atque munera sua administrare jam non possit. Hae quidem praecipue medendi prosopalgiae methodi sunt,

quae diaeta et regimine idoneis adjuventur necesse est, ut etiam hac ex parte nervorum systematis temperies in melius vertatur. Omnia igitur, quibus nervorum vasorumque systema excitatur, vitanda sunt, summa cibi et potionis simplicitas adhibenda, denique ab omnibus excitationibus psychicis cavendum est, sie illa remedia spei respondere vis.

Descriptio anatomica.

Si nervi resecti particulam accuratius examinabimus, saepe aut structurae aut partium adjacentium commutationes inveniemus, quas morbi causas fuisse verisimillimum videtur; multo saepius vero affectus nervi locus ita situs est, ut non idoneus qui excidatur in mortui demum sectione cognoscatur; non rarius autem accidit, ut neque nervus neque quae circa eum sita sunt, commutata videantur. Observationum, quae summa diligentia in sectione corporum eorum, qui prosopalgia affecti erant, duo genera sunt, quae ita inter se differunt, ut aut nervus ejusque neurilema ipsum laesa aut partibus adjacentibus mutatis compressa sint. Quae duo genera paucis explicabimus:

a) mutationes nervorum ipsorum.

Romberg tubercula dolorosa in fibratione nervi centrali se invenisse dicit, alio in casu neurilema denticulatum seroque plenum inventum est. Cruveilhier semel omnes nervi facialis ramos nodosos

et velamento carcinomatoso circumdatos se reperisse in anatomes pathologicae libro XXV exposuit. Aliis sectionibus nervi tenues, molles, ex rubeo subrubidi, alii duri, plani apparebant.

b) mutationes partium nervis adjacientium.

Hoc in genere commemoranda sunt dura mater crassa, ossaque crassa, exostoses cranii et faciei ossium, quae affectae saepe sunt inflammatione. Praeterea Romberg uno in casu carotidem cerebralem aneurysmatice dilatatam circa sellam turcicam invenit, qua Ganglion Gasseri ad latus corporis ossis sphenoidei compressum est.

Centrales vero caussae perraro reperiuntur, in quibus mollities, sclerosis, abscessus in arachnoidea, residuum inflammationum intra cerebrum enumeranda sunt.

Quibus observationibus liceat mihi eas nervorum mutationes addere, quae in aegroto inventae sunt, cujus supra mentionem fecimus, qui intercurrente malo obiit. Trigeminus et Ganglion Gasseri dextra parte satis planatum est, infiltratumque oedematose. Singulae nervorum fibrillae facile inter se dividuntur, non satis firme inter se conjunctae, periphericae adipose degeneratae sunt, in partibus mediis intactae. Integumentum a dure matre proficiscens imprimis in foramine ovali valde condensatum erat, foramen ovale ipsum valde marginatum, sinister contra nervus trigeminus et majore diametro et rotunditate, et firmiore consistentia erat singulis nervi

fibrillis firmius inter se conjunctis. In basi cerebri inter utramque trigemini radicem diametrus et cetera qualitas non valde inter se differunt excepto diametro minore nervi dexteri. Aliae permutationes vasorum vel nervorum non animadvertebantur.

De symptomatologia.

Raro tantum morbus, de quo loquimur, aterrimus subito irruit, saepius jam diu signa quaedam antecesserunt, quae hostem imminentem indicant; ad antecedentia sensus pertinet tendens, premens, trahens; partis morbo affectae rubescentia ardoris sensu addito. Paroxysmo ipso praeterea haud raro aura quaedam in regione praecordiali antecedit. Tum paroxysmus in loco certo faciei erumpit, fit lancinans, caedens, distendens, raro tantum certis locis determinatus palpitat ictus electricos imitans supra propinquos et remotos locos, idem autem iter in omnibus paroxysmis est. Dolor ita acerbus est, ut faciëi contractiones, concussiones totius corporis tremoresque artuum eum sequantur atque omnia manibus prehensa illis excidant. Color faciei rubris lineis tectae commutatus est; arterias pulsantes vides, venas tumentes, temperatura partis affectae adaucta, reliqui corporis minuta est. Praeterea aegrotatio singulorum nervi trigemini ramorum hoc proprium habet: Si neuralgia sedem habet in nervo opthalmico dolor imprimis in oculo inferiore, in angulo oculi interno et glandula lacrymali versatur. Quod

conjunctivam bulbi et glandulam lacrymalem alit, facile rubor in paroxysmis apparens et lacrymarum larga secretio declarari potest. Si ramus secundus affectus est, cujus area facies, nares et maxilla superior est, paroxyumi cum aquosa sive mucosa tunicae nasi mucosae secretione conjunguntur. Rami tertii creberrime nervus dentalis inferior afficitur. Hi paroxysmi multa salivatione excellunt.

Nonnullis horae sexagesimis praeteritis paroxysmus desinit. Non ita celeriter, quam incipit, cessat, sed satis vehemens dolor restat, quem tamen aegroti pro nihilo habent.

Valleix certa puncta, unde dolor semper originem capiat, se invenisse contendit, quorum quindecim enumerat, sed et Romberg et Hasse loca ubi dolor incipiat certo semper statui non posse merito affirmant.

Quorum dolorum timore commoti quam maxime tranquilli manent aegroti et quum noverint, quam vehementer crucientur edentes cibos repudiare solent. Ex torpore quodam musculorum faciei ultro ab aegrotis provocato, quod motione dolores crescere experti sunt, facile morbo illo affectus cognosci potest.

Complicati cum hac neuralgia sunt:

1) Dolores, qui afficiunt alios nervos sensibiles irradiantes in partes et propinquas et distantes. Ita Elliotson dolorem per cervicem humerum versus et praeter internum brachii antibrachiique latus in omnium digitorum et pollicis fines porrigi vidit.

2) Translatio dolorum ex sensibilium in moto-

riorum nervorum sphaeram. Quae res olim falso ita explicata est, ut neuralgia sedem in ramis nervi facialis habere diceretur, ratione habita doloris, qui cursui pedis anserini majoris responderet. At tractus ramorum nervi alveolaris superioris illi similis est et certo sensibilitas nervi facialis assumpta tantum est.

3) Saepissime nervi vasomotorii excitantur. Arteriarum pulsationes in imagine paroxysmi memoratae, tumidae venae, temperies excitata, quae usque ad sudorem secernendum ducit hujus rei testimonium afferunt.

Si morbus perdiu durat, saepe tota facies deformatur: convulsiones perpetuae, tumores oedematosi aut collapsus lateris affecti existunt; cutis praecipue genae pinguescit atque sordida apparet; labiorum depravatio, ectropium, crassescentia et spinositas barbae, pustulae acnes, inflammationes erysipelaceae sunt observatae.

Quod attinet ad neuralgiae decursum singuli paroxysmi singulos aut celerius aut minus celeriter sequuntur. Modo existunt intermittentes quotidie aut tertiani certis temporibus, modo ultro omnibus diei temporibus a minimis causis paroxysmus excitatur. Saepe paroxysmi, postquam diu non reverterunt, vehementes in lucem prodeunt et nescio an eventus ille bonus, qualis, ut supra diximus, adhibito Hydrargyro bichlorato corrosivo erat ex illa longiore paroxysmorum intermissione repetendus sit.

Exitus neuralgiae nervi quinti maxime ex caussis

pendet. Ita mulierum quidem hystericarum valetudo saepe mirum in modum celeriter restituitur; et nervi affectio ex febri intermittente profecta saepe ad bonum se vertit. Pariter denique neuralgiae mechanicis insultibus exortae, si tempestive ad tractandum perveniunt et ita tractantur, ut supra descripsimus, facile curantur. Exitus morbi, si ad sanitatem inclinat, subito nunquam in lucem prodit sed paroxysmi magis magisque infirmiores exsistunt, donec evanescant. Plerumque vero prosopalgia decursum chronicum sumit atque ita diutissime manet. Cujus rei exemplum affert Lentin qui per triginta annos prosopalgia laborantem observavit et Romberg qui in nervi quinti neuralgiae specimine casum viginti sex annorum describit.

De aetiologia.

Causae prosopalgiae maxime variae sunt et a diversis auctoribus ita variae sunt significatae, ut difficile sit, omnes de hac re editas sententias accurate describere. Liceat igitur aetiologias gravissimas, quales jam carptim ex iis, quae supra diximus, apparent, afferre.

Omnino momenta aetiologica in tres partes dividi possunt, quarum prima complectimur praedisponentia, altera externa, tertia denique generalia vel interna. Ac primum quidem de praedisponentibus momentis summa sententiarum dissensio est. Mea quidem sententia valde abhorret ab iis, qui

hereditate putant oriri neuralgiam: hoc unum concedo dum corporis constitutio est, quae saepe hereditaria exsistit, quae dicitur nervosa, insignis cutis faciei candore et teneritate, totius corporis debilitate, qua efficitur, ut vel minima irritamenta talem hominem offendentia praesertim nervorum systema maxime sensibile aggrediantur, a parentibus in liberos transire, et hoc modo perceptam illam sententiam proponi liceat. Non multo gravior ea sententia est, qua genus muliebre praedispositionem habere putatur, nam Valleix et Chaponnière centum et viginti quatuor viros, ac centum et quadraginta tres mulieres, et Hasse viginti septem viros ac triginta feminas prosopalgia affectos enumerant. Multo majoris autem momenti aetas est; nam si Romberg auctore acutam typicam et chronicam atypicam neuralgiam accipiemus, acutam quidem in omni aetate et omni ordine, chronicam vero, quae hoc loco imprimis ante oculos nobis versatur, in eo spatio aetatis exsistentem videbimus, quod est inter trigesimum et quinquagesimum annum. Sic Bellingeri inter quadraginta prosopalgia laborantes homines triginta octo plus quadraginta annos natos vidit, et Fothergill et Pujol nullum omnino aegrotum observarunt, qui minus quadraginta annis vixisset. Conditionum externarum etiam ratio habenda est; nam constat inter omnes, divites saepius hoc malo laborare quam pauperes, ut in nosocomiis neuralgia nervi trigemini affectus homo quasi rara avis significari possit. Sic etiam Hirsch in fragmentis clinicis prosopalgiam in

aterrima forma affirmat in nosocomio omnino non fuisse. Denique noxia sunt et anni tempora, quod ex eo apparet, quod temporibus frigidioribus aegrotorum numerus paroxysmique plerumque augentur, et aeris qualitas, quod hac re manifestum est, quod in regionibus ad septentrionem spectantibus malum saepius animadvertitur, quam in meridianis.

Atque quod attinet ad momenta localia, descriptione anatomica adducimur, ut discernamus inter originem centralem et excentricam. Ac si originem centralem habemus, truncus vel origo nervi vel ipse, vel pressione partium degeneratarum, quae eum circumdant, laborat; sed etiam si res ita se habet, sensus dolorem in peripherica nervorum expansione ponit, excellit vero hic casus majore numero nervi ramorum, qui morbo affecti sunt. Jam vero si originem excentricam habemus, crassa cranii et faciei ossa vel nervi ipsius per parva foramina transeuntis tumorem, caussam aegrotationis accusabimus. Neque id mirum, nam nullus alius nervus tot canales et fissuras permigrat, quam nervi trigemini rami, qua de caussa parvae tantum harum viarum mutationes nervum comprimere possunt. Maxime vero compressioni sunt expositi nervus infra orbitalis, zygomaticus, alveolaris superior et inferior. Ad ea quae nervum comprimere possunt, degeneratio ateromatosa et dilatatio aneurysmatica arteriarum addendae sunt, qualem casum Romberg, ut supra dixi, semel reperit. Etiam corpora aliena sub cutem immissa aterrimi morbi auctores esse possunt. De-

nique exostoses et caries dentium saepe causa prosopalgiae accusandae sunt, quamquam odontalgia localis irradiantibus doloribus saepe prosopalgia habita esse videtur; aliis in casibus sine dubitatione extractis dentibus cariosis hanc neuralgiam sanatam esse satis certe constat.

Denique inter causas generales vel internas referenda est praecipue refrigeratio, quae saepissime ex ventis aquilonibus et septentrionalibus flantibus nascitur; saepe inflammatoria est et cum rheumatismo aliarum partium conjuncta. Malaria infectio non raro efficit prosopalgiam, quae modo typica in lucem prodiens omnino stipata est febris intermittentis symptomatibus: frigore, calore, sudore, pulsu frequenti, modo atypica est, quo in genere febris intermittentis natura demum ex celeri Chinii eventu cognoscitur. Porro ad causas internas referendae sunt dyscrasiae et carcinomatosae et scrophulosae et syphiliticae. Denique causae prosopalgiae afferuntur quodammodo quasi metastases: oppressio sudaminum pedis, saniei, exanthematum chronicorum, haemorrhoidum aut catameniorum profluentium, quibus corpus assuevit.

Quomodo oppressio illarum rerum, quas modo memoravi, hyperaesthesiam illam efficeret, nondum erui potuit: equidem ex sanguine, oppressione illa mutato, repetendam esse puto. Nam ut in exanthematum acutorum, ut in typhi abdominalis stadio prodromorum saepe neuralgiae maxime variae, etsi mox praetereuntes, oriuntur, ita illa aegrotatio in mutata sanguinis qualitate, id quod etiam illorum

morborum proprium est, niti debet. Porro videmus vel absolutam vel relativam corporum sanguinis deminutionem, quam anaemiam vocamus, sensibilitatem nervorum et sensualium et sensibilium augentem. Ut denique venenorum metallicorum imprimis plumbi et hydrargyri mentionem faciam, eorum effectus inde declarari possunt, quod ad sanguinem vel recta via ad nervos pervenientes neuralgiam provocant.

Ab his causis, quibus morbus ipse excitatur, accuratissime impetus, qui singulos paroxysmos efficiunt, discernendi sunt. Dolor nunquam sua sponte, sed semper a causa, vel hac vel illa externa excitatur. A manducatione, a deglutitione, a leviori linguae motu, a locutione subiti ictus emicant. Porro levior contactus genae a digito, caule pennae, innunctione barbae dolorem excitat. Immo nonnunquam his ictibus cum universo nervorum systemate nobilissima est sympathia, ut si oppositum capitis latus, vel colli, brachii, femoris locum aliquem digito tangas, inde suscitentur.

Diagnosis.

Symptomata prosopalgiae omnino tam perlucida sunt, et tam facile ex symptomatologia apparent, ut quum in singulis tantum casibus diagnosis dubia, tamen omnino non difficilis esse possit.

Nitatur diagnosis necesse est primum in doloris expansione, quae cursui nervorum anatomico respondet, in serie insultuum dolorificorum, quibus paro-

xysmus componitur, eorumque spatiis; tum in ea re, quod levi tactu dolor excitatur, compressione vero nervorum opprimitur; deinde quod dolor noctu deficit; denique quod neuralgia maxime homines majores natu aggreditur. Ne prosopalgiam cum aliis malis confundas, haec praecipue momenta observes; saepe prosopalgia odontalgia habetur, quod vitari potest, si hoc reputes, prosopalgiae spasticas musculorum contractiones accedere. Praeterea odontalgia localis ab uno vel pluribus dentibus cariosis, quorum radix aut corona dolet, quamquam non semper caries elucet, pressione adhibita nunquam non orditur, quod raro tantum in prosopalgia est. Huc accedit ut odontalgia provocetur frigidis potionibus; cibis in dentem cariosum venientibus, aere frigido, extracto vero dente statim tollatur. Multo difficilius a prosopalgia hemicrania secernitur, quae fere eandem sedem habet ac nervus ophthalmicus. Sed paroxysmus hemicraniae multo longior est, totum per caput expanditur, saepe nauseam vomitumque comitem habet, sensorium multo facilius offendit. Adde quod paroxysmi hemicraniae rarius singuli singulos sequuntur, ac fere semper typici exsistunt. Spasmus faciei sive mimicus sive masticatorius omnino non confundi potest cum prosopalgia, si reputes nervum facialem, quippe qui nervus motorius sit, dolores provocare non posse.

Prognosis.

Diversa est prognosis, prout causas aut leviores

aut graviores invenimus; quisque igitur casus suam prognosin habet. Nihilominus, prosopalgia vehemente, semper prognosis dubia est vocanda, quoniam ut adnotat Hasse, proverbium illud cessante caussa cessat eventus, si longum per tempus aegrotus prosopalgia vexatur, in usum non venit. Pendet prognosis primum ab aetate: homines minores natu facilius revalescunt, quam majores natu; tum ab causa: excentricae prosopalgiae causae, quae therapiae faciliorem aditum praebent, laetiorem spem medendi admittunt, quam concentricae; si causae internae exstant, prognosin relative bonam eae praebent, in quibus momentum aetiologicum auferri potest; deinde quum a breviore aut longiore tempore paroxysmorum, qui quo crebrius revertuntur, eo minus sanationis spes est, tum a morbi diuturnitate, quod morbo ita corpus adsuescit, ut quod Schauer dicit, affectionem organismi cum corpore coalescere summo jure probandum sit; denique ab aegroti vitae conditione; atque hoc in genere valde utilis ac curationis eventum adjuvans erit euphoria et animi hilaritas, saepe autem etiam animi relevatio ad tractationem secundam permultum valet; haec ipsa res in prognosi plurimum spectanda est, nam cujus res non tam secundae sunt, ut animo corporique parcere, irritamenta psychica quam plurimum vitare, idoneam sibi diaetam parare possit, ab eo mali removendi omnis spes vana est, malum ipsum ad recidivas pronum rursus adducitur et saepe laetissimam, cui indulsi-

mus, spem evertit. Luce clarius est carcinomata et dyscrasias semper prognosin reddere malignam.

Jam si casum praemissum in hoc nosocomio observatum cum iis quae in universum de prosopalgia dicta sunt, comparamus, haec fere elucent.

In illo a me descripto casu sine ulla dubitatione momentum aetiologicum processus inflammatorius perfrigerio excitatus putandus est. Nam et illa febris intermittens, quam aegrotus puer superavit, et illa vulneratio brachii nullam suspicionem cum neuralgia conjunctionis suscitare potest. Etsi enim Elliotson a neuralgia nervi trigemini usque in pollicem irradiantes dolores neuralgicos invenit, tamen ex contrario ex manu laesa neuralgiam nervi trigemini profectam esse putari non potest. Praeterea spatium amplius octo annorum inter illam laesionem et primum prosopalgiae paroxysmum interjectum erat. Majoris momenti illa conjunctivitis esse potuit, sed ad conjunctivitidem solus ille dolor supraorbitalis accedit. Sic igitur inflammatio, quam saepissime morbi generalem causam memoravimus, aegrotationem evocasse videtur. Huic rei etiam respondent quae in sectione visa sunt, nam illud crassum neurilema in foramine ovali inventum tantum processu inflammatorio effectum intelligi potest, quo, quum margines foraminis ovalis in externum non paterent, nervus ipse premeretur, qua re illi delores orirentur. Quibus rebus haec inflammatio excitata sit, decerni

non potest; nam trauma hoc loco omnino cognitum non est. Restat igitur unica causa: refrigeratio.

Symptomata omnino in uno quoque casu eadem videmus; illi dolores paroxysmis homines vexantes, qui aegroto quietem non concedunt, ille a dentibus proficissens dolor, illa spatia inter singulos paroxysmos doloribus libera, singuli paroxysmi levibus rebus: afflatu, ridendo, loquendo, manducando, tactu, barbae tonsione excitati diagnosin facilem reddiderunt. Prognosis autem dubia modo proponi poterat, primum quod aegrotus jam diu malo laborabat, priusquam in clinicum reciperetur, tum ut in superiore illa descriptione dixi omnino aegroto prosopalgia affecto nunquam secunda prognosis poni potest. Dolendum est quod aegrotus post annum et tres menses ex conspectu nostro abiit; nihilosecius statuendum est, quum morbus in nosocomio diligenter tractatus non cessaret, eum, quod aegrotus victum sibi laborando parare debebat, non defecisse.

Therapia denique quam parvum profecerit, etsi omnia remedia adhibita sunt, satis doctum est; resectio in illo loco, qui obductione cognitus est, in quo nervus mutatus erat, institui non potuit.

VITA.

Natus sum Julius Michelsen anno h. s. XXXIX die III mensis Octobris Rogaseniae, magniducatus Posnaniensis oppido, patre Henrico, matre Eleonora e gente Levi, quos adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor veterem. Primis litterarum elementis domi imbutus gymnasium adii Fridericum Guilelmum Posnaniense, quod per septem annos frequentavi. Anno h. s. LIX maturitatis testimonio munitus literarum universitatem Fridericam Guilelmam adii et a rectore magnifico Ill. Dove inter cives academicos receptus decano spectabili Ill. Jüngken facultatis medicae nomen professus sum. Tribus deinde semestribus elapsis Gryphiam me contuli et ab Ill. Hoefer, rectore magnifico civibus academicis adscriptus apud Ill. Haeser t. t. decanum spectabilem nomen dedi.

Per octo semestria hosce viros praeceptores habui.

Berolini.

Ill. du Bois-Reymond: de physiologia; de diffusione.

Ill. Braun: de botanice; idem dux mihi fuit in excursionibus botanicis.

Ill. Dove: de physice experimentali.

Ill. E. Mitscherlich: de chemia anorganica.

Ill. Peters: de zoologia.

Ill. Reichert: de anatomia; idem dux mihi fuit in arte cadavera rite secandi.

Ill. G. Rose: de mineralogia.

Cel. Werder: de logice.

Gryphiae.

Ill. Baier: de psychologia.

Ill. Bardeleben: de akiurgia; de chirurgia generali et speciali; de fracturis et luxationibus; de ophthalmiatrice. Idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis.

Exp. Bengelsdorff: de arte formulas medicas rite concinnandi.

Ill. Budge: de osteologia et syndesmologia; de corporis humani evolutionis historia. Idem mihi praeivit in cursu microscopico anatomico.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica generali et speciali. Eundem secutus sum in cursu anatomiae et histologiae pathologicae.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi; de politia medica.

Ill. Haeser: de encyclopaedia et methodologia medica; de pathologia et therapia generali.

Cel. Laurer: de materia medica generali et speciali; de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Ill. Limpricht: de chemia organica.

Ill. Münter: de botanice.

Ill. Pernice: de arte obstetricia.

Ill. Rühle: de pathologia et therapia speciali; de morbis nervorum systematis; de psychiatrice.

Exp. Schirmer mihi dux fuit in exercitationibus ophthalmoscopicis.

Ill. Schultze: de anatomia et physiologia comparata; de historia medicinae.

Cel. Ziemssen: de syphilide; de exanthematibus acutis; de auscultatione et percussione.

Scholis clinicis interfui medicis et psychiatricis Ill. Rühle, chirurgicis atque ophthalmiatricis Ill. Bardeleben, obstetriciis Ill. Pernice.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.

THESES.

I.

Sonitus placentaris minime valet ad cognoscendam graviditatem.

II.

Apud syphiliticos morbus interdum exoritur, qui symptomatibus tuberculoseos chronicae similis remediis mercurialibus sanari potest.

III.

Contra prosopalgiam remedium specificum non exstat.